



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 52. Benedictus venit Genuam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

SÆCUL. XV.
A. C. 1405.

§. LII.

Benedictus venit Genuam.

J. Juven.
p. 170.
Labour.
p. 507.

Benedictus concordiae desiderium prae se ferebat, nunquam discedens a consilio colloquii cum suo æmulo. Proinde Genuam, atque si opus esset, Romam usque ire constituit: & pro itineris sumptibus decimam Franciæ, cunctisque regionibus sibi obnoxiiis imperavit. Cum id Parisinæ Universitati displiceret; Rector, & alii quidam de illius corpore Principes ægroti Regis vicem fungentes orabant, ut ne decima hoc in regno colligeretur; vel saltem Universitas immunis esset, cum tantas jam impensas fecisset in concordiae negotium. Sed aucti non sunt: atque Principes, vel horum domestici decimæ partem naturi dicebantur. Universitas ergo statuit ad Benedictum legationem mittere: in quam insumpsit bis mille nummos sexaginta Gallicorum assium.

S. Ant. to. 3.
p. 460. Haud multo ante Legati Franciæ Genuam profecti Rempublicam, Archiepiscopum, quin etiam Cardinalem Fiescum ibi Papæ Romani vices gerentem ad Benedicti causam adjunxerant. Tum Pisas delati effecerunt, ut civitas, ac territorium ejus totum ab Innocentio ad Benedictum desciscerent.

Hic

Hic Nicææ in Provincia conscensa na-
 ve mense Majo anno 1405 Genuam atti-
 git, sic receptus, ut eum ibi expectatum
 esse constaret. Et vero hanc Rempubli-
 cam tunc protegebat Francia: & Ca-
 strorum Præfectus Bucicaltus Regis no-
 mine ibi copiis præerat. Benedictus se
 pacis ecclesiasticæ curandæ gratia venif-
 se perhibens naves a Genuensibus postu-
 labat se deducturas Romam. At inter-
 veniens pestis eum haud sinebat diu Ge-
 nuæ commorari, sed redire Massiliam
 coëgit.

§. LIII.

Negotium concordie retardatum.

Exeunte Septembri Benedictus Inno-
 centium Viterbii agentem curavit
 impelli, ut Nunciis tractandæ concor-
 diæ causa ad se mittendis commeandi
 potestatem faceret. Recusabat Innocen-
 tius haud credens illum bona fide id po-
 scere. De repulsa conquerens Benedi-
 ctus ajebat per se non stare, quo minus
 fieret concordia: ita scribebat multis in
 epistolis ad varia missis loca. Innocen-
 tius ad eas respondit per litteras longio-
 res, quas in multis Italiæ locis promul-
 gari voluit. Sic ambo per sua scripta lu-
 dentes orbem ducebant tempus, ne ce-
 dere cogerentur, veriti.

Inno-

Sæcul. XV.

A. C. 1405.

Labour.

p. 513.

Juven.

p. 171.

Th. Niem.

l. 2. c. 38.